









1688.

1. Beckmann, Th. Vile : De iure factiarum
  2. Beierus, Arrianus : De primo canticis gradu.
  3. Beierus, Arrianus : De reciprocis conventionibus.
- 4<sup>a</sup>-t Hartung, Thos. Christophorus : De apostola. 2 Sept.
5. Lyndanus, Nicolaus Christoporus, Fec. iur. Beckmann : De  
lectionem cursorum Christiani Friderici Ruyseri in urbe
- 6<sup>a</sup>-t Lyndanus, Nic. Christophorus : De Oberkate statuum imperii  
vitate. 2 Sept. 1688 - 1699.
- 7<sup>a</sup>-t Lyndanus, Nic. Christophorus : De juri iurant' in ual.  
vilate. 2 Sept. 1688 - 1707.
- 8<sup>a</sup>-t Lyndanus, Nic. Christophorus : De metris potestate  
in liberis. 2 Sept. 1688 - 1728.
- 9<sup>a</sup>, 6.<sup>c</sup> Lyndanus, Nic. Christophorus : De his, quae principium  
statuum imperii libertati per personam accensuntur.  
3 Sept. 1688 - 1737.



1688.

10. Mückpfort, Christophorus Wetherus: *De privilegio competentiae.*
11. Matherus, Petrus: *De incremento praedii fundalis.*
12. Matherus, Petrus: *De re pecunia alina comparsata*
13. Matherus, Petrus: *De odio variationis.*
14. Matherus, Petrus: *De personis principibus iuridicis  
pendale constituentibus.*
15. Matherus, Petrus: *Brevis commentatio ad singularia  
illustrium Banniorum statuta*







DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

*De*

*36.*

# JURIS JURANDI INVALIDITATE,

von  
Ungültigen und vergeblichen Eidschwüren/

*Quam*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

JOANNE GUILIELMO,  
DUCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE  
AC MONTIUM ETC. ETC.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

Decreto atque Jussu

MAGNIFICICTORUM ORDINIS  
in hac Academia Salana,

PRAESIDE

DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERO,  
JCTO Consummatissimo; Hæreditario in Glührstedt & Kot-  
schau; Consiliario aulae, Regiminis Saxo-Vinariensis Intimo, Facul-  
tatis Juridicae Seniore & Antecessore Primario, Collegii Juridici

DECANO,

PATRONO SUO perpetim colendissimo  
PRO LICENTIA

Summisque in utroque Jure honoribus ac Privilegiis Doctoralibus  
rite impetrandis

Publicæ disquisitioni submittit

F RIDERICUS Gottlieb Blumberg/  
H. L. Q. C. ad diem Aug. 1688.

---

Jenæ , Liteis Bauhoferianis.

VIR O  
MAXIME GENEROSO, NOBILISSIMO  
ET PERQVAM STRENUO  
DOMINO  
**ADAMO FRIDERICO**  
*Metſch/*  
Dynaſtæ & Hereditario in Reichenbach  
& Friesen/  
Patrono suo maximè venerando,

Hanc inauguralement Disputationem

In perpetuum obſeqvii & obſervantiarē tesseram

offert

A U T Q R.



I. N. J.

De

## JURIS JURANDI INVALIDITATE.

### PROOEMIUM.

Quanquam jusjurandum sit species cultus divini & religionis. l. 36. in pr. ff. de fideic. libert. c. et si Christus 26. X. de jurej. unde etiam non immerito vinculum religionis audit. l. 1. C. d. in lit. jur. & nullum vinculum eodem praestantius perhibetur à Cic. l. 1. offic. immo nullum ad conservandum politicum statum & ordinem jurejurando Romano arctius esse , nullumque sanctiori cura inviolatum custodiri voluerint. Agell. l. 1. nott. Att. c. 18. Vid. P. Ærod. l. 2. rerum judicatarum tit. 16. de offic. censor. Jac. Ebert. in tr. de bistoria juram. ut proinde religiose sancteque servandum sit. Hinc etiam multi sunt effectus praestiti juramenti: ut nempe (1) praecidat Controversias , (2) ex mutua partium conventione praestitum retractari amplius non possit; (3) defectum probationis suppleat. l. 30. ff. de Jurej. (4) habeat vim transactionis & rei judicatae. l. 2. ff. eod. l. 21. ff. de dol. mal. (5) quando contractui vel actui, lex aliqua non assistit simpliciter, veruntamen fieri illum non prohibet, juramentum illum firmet. l. 10. C. de pact. Vid. Petr. Gregor. Synt. f. univers. l. 50. c. 5. ibi de confirm. contract. juram. (6) Vim ha-  
beat

A 2

beat excludendi omnes exceptiones, quæ ex persona eius, qua cum agimus peti solent. Grot. l. 3. c. 1. n. 19. (7) vim novationis l. 26. §. ult. ff. de Jurej. (8) aetatem suppleat, ut minor habeatur pro majore. arg. auth. sacramenta puberum C. si advers. vendit. (9) Pariat obligationem, ita, ut ea à juramento sit inseparabilis, & effectus ejus necessarius. Grot. d. l. n. 2. (10) ex obligatione Jur. Civili non efficaci, faciat efficacem obligationem; facit enim ut actus omni meliori modo valeat, quo valere potest. l. 77. §. 23. ff. de leg. 2. Schneid. ad §. II. Inst. de Act. n. 56. & qui sunt adhuc plurimi, relati à Seraphin. in tr. de priv. jurament. Attamen his non obstantibus, juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. quanto 18. X. de jurej. quapropter inaumeri etiam dantur casus, in quibus omnem vim & efficaciam perdit, adeo ut etiam plaus invalidum reddatur; atque magis Justum sit ab eo recedere, quam inustum cum detimento salutis servare. De his igitur, cum mihi quædam eruditorum disquisitioni in hac inaugurali disputatione submittere animus sit, hinc statim bono cum Deo me ad propositam materiam converto enucleandam.

## CAPUT I.

### GENERALIA

### Quædam ratione Etymologiæ, Homonymia Synonymia & definitionis exhibens.

§. I.

**U**NDE Jusjurandum derivatur notum est, nempe à jure & verbo juro, unde jurejurare, quod est quasi se verare. Georg. Obrechtin tr. de Jur. calam. c. 1. n. 7. Mancin.

cum de Juram. p. I. in prefat. n. 3. a jure enim dicitur; quod id, ut  
quo jusjurandum est præstitum pro lege habendum & veluti  
jus sit sancte servandum. l. 5. §. 2. ff. de Jurej. Germ. Lyd o-  
der Lyd. de qua voce vid. Besold. in Thes. Pract. b.v. & Jacob.  
Ebert. in hist. juram. rubr. de voculis germanicis.

§. 2. Accipitur vox jurisjorandi hic pro illo actu religio-  
so, quo agens sub invocatione Numinis de fide sua testatur,  
ut si id, quod dicit, à veritate sit alienum, vel si fidem fallat.  
& jurata non serveret, gravissimis, ultore Deo, peccatis sese ex-  
ponat. l. 1. l. 21. §. 2. C. de Jurej: prope. column. dand. l. fin. C. de fa-  
deicommiss. & sic excluditur (1) nuda obtestatio, qua quis frequen-  
ter & post alterum penè prolatum verbum ex mera temeritate  
aut perversa consuetudine jurat, ut & (2) dira mali cuiusvis im-  
precatio & execratio. Wesenb. in par. ad tit. ff. de Jurej. Manz.  
ad art. 44. Ord. Crim. n. 20.

§. 3. Variè etiam appellatur, nam dicitur & sacra-  
mentum. l. 8. C. de reb. Cred. l. 12. eod. 41. l. 2. §. 6. & 7. C. de Jure-  
jur. prop. column. dand. l. 21. C. de fide instrum. item: Juramen-  
tum l. 25. §. 3. ff. de probat. l. 34. §. 5. ff. de Jurej. rejecto veteri  
discrimine inter juramentum & jusjurandum; quod hoc rei  
litigiosæ, illud rei non litigiosæ esse dicebatur. Et hæc tria  
verba, sacramentum, jusjurandum, juramentum, semper pro uno  
eodemque sumuntur, ut constat ex iis. D. & C. de Jurej: de in-  
lit. jur. auth. sacramenta puberum C. si adversus vendit, nec in  
Civilis tantum, sed etiam Canonico Jure, Panorm. in rubr. X. de  
Jurej. & passim Mancin. de Juram. p. II. in prefat. n. I. Quam-  
vis sacramentum aliquando latius sumatur pro actu, qui atte-  
statione sacræ rei firmatur, & militare potius, quam forense esse  
vocabulum. l. 8. C. de Legat. l. 2. §. miles. ff. de his, quæ ut indign.  
Beneckendorf. ad Seraphin. prefat. n. 2. Setsl. l. 1. c. 1. n. 8. item  
dicitur religio l. 24. ff. de Jurej. Jurisjurandi religio l. 6. C. de R. Cr.  
Religiosa asseveratio, Suarez. tom. 2. c. 1. de Jur. Vinculum reli-  
gionis l. 1. C. de in lit. jur.

§. 4. Et describitur, quod sit rei alicuius asseveratio le-  
gitime facta per invocationem Dei in testem. Ratione reliquo-  
rum

rum, quæ restringant præmittenda generalia, lectorum ad Commentatores ad tit. ff. de Jurej. remitto. Jam modo exponam quænam vincula jurisjurandi invalida sint, vel quæ non servanda.

§. 5. Invalidatis vox derivationem trahit, ab in, & validitas, s. valido; i.e. quod non valet; Particula in autem hic non augmentationem in se continet; sicut Servius exponit in lib. 6. Aeneid. Virg.

Invalidus vires ultra sortemq. seneget  
& quod idem sit ac valde validus; sed diminutionem, & significat usitatori acceptio in idem ac non: hinc invalidum Germanice ungültig/ nichtig/ unschäbig.

§. 6. Vinculum igitur religionis s. jurisjurandi multis & variis modis evadit invalidum, ut exinde illud non servare omnino justum sit, & accidit vel ex defectu formæ essentialis & modi; vel propter defectum intellectus, & consensus, qui sese exerit in persona jurantis; vel propter rei vel facti qualitatem, vel propter invaliditatem contractus; vel per dolum vim & metum, vel annullatur per relaxationem & absolutionem; de quibus singulatim.

## CAPUT II. SPECIALIA, *Et quidem invalidum jurisjurandi vinculum ex defectu formæ essentialis & consensus jurantis, exhibens.*

§. I.  
Invalidum sacramentum existit, & ut non servetur, justum est (1) propter defectum formæ essentialis & modi, quæ si non fuerint observata in præstatione juramenti; Forma enim dat esse rei & per æquipollens adimpleri nequit l. 8. §. 17. ff. de transactione. l. 9. §. 3. ff. ad exhib. Nicol. Boer. dec. 1. n. 44.

§. 2. Dixi ex defectu formæ essentialis, quæ consistit in  
solius

*solus & veri Dei invocatione in testem de affirmatione rei certe cum tacita imprecatione poenae, super re, de qua juratur. Ipse enim solus ut omnipotens adoratur, ipse etiam solus ac omnipotens in conscientia nostra testem & perfidiam ultorem invocatur. Dent. VI. 13. 20. Ebr. VI. 16.* Nam defectus formae accidentalis, quae includit ceremonias & ritus; ut elevationem dextram manus, Evangeliorum tactum, juramentum non vitiat. Carpzov. dec. 199. num. 9. p. 2. Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 285. Magnif. Stryk. in tr. de Jur. sens. diff. 7. c. 1. n. 33. & seqq. Nec defunc quidem, qui ratione tactus Evangeliorum dissentunt, ut Baldus in l. 12. §. 5. C. de reb. Cred. quod illud propriè juramentum dicatur, ubi Sacrae Scriptura manibus tanguntur per Clem. I. de usur. quem sequitur Jafon, in aub. sacramenta puberum, n. 14. C. si advers. vend. Hinc etiam in Camera ad Deum & per SS. Evangelia juratur. O. C. p. 1. pag. 273. & seq. Verum cum juramentum divini nominis invocatione substantietur, & absolvatur ad fidem jurantis confirmandam, prout ipse Baldus. ad rubr. ff. de Jurej. fatetur. Concludendum potius, quod tactus Evangeliorum non requiratur nisi per accidens. Cum in his multum locorum varietas variet.

§. 3. Non vero ex his colligendum, quod juramentum sit ipsa invocatio numinis divini, juxta quorundam opinionem; sed potius per eandem juramentum praestatur & absolvitur; perinde ut instrumentum publicum non potest dici publicatione solennium, sed quod fiat per solennium publicationem; id autem per quod res, ut ita dicam, solennitatur, non est res ipsa, sed potius solenne ejus requisitum.

§. 4. Quoniam igitur per solum & verum Deum jurandum, sequitur, quod eiusdem, hac non observata forma, jusjurandum per Deastros praesitum, non obligat. l. 3. §. 4. l. 5. §. 3. ff. de Jurej. ratio: quia religionis publicae improbatæ jusjurandum pro juramento non habetur. Gothofr. in not. ad d. l. 5. §. 3. lit. m. Non obstat c. 10. qu. 5. cauf. 22. Eum, qui super lapidem falsum jurat, perjurum esse: Non enim loquitur de vero perjurio, sed simplici fidei violatione, gravi per se peccato. Covarr. ad c. quamvis

vis 2. de pactis in 6to. §. 1. p. 1. n. 24. ubi & rectè censet, quod si juratum per Deos, quos falsos jurans agnoscit, deficere jurisj. definitionem, cum nec re, nec opinione divini Numinis obtestatio adsit. Et inquit Parl. 2. rer. quot. 4. n. 7. ut id servetur, non fieri jurisj. religione, sed humanæ fidei obligatione: vel proterit dici perjurium ex opinione Ethnici, cui juratur, & quia sub specie juramenti à Christiano fallitur, ideoque insignis perfidia etiam respectu hujus perjurium vocari posse, affirmat Magnif. Struv. Exerc. 17. lib. 3.

§. 5. Sic iurandum per creaturas, Angelos & sanctos præstitum statim injustum & nullum existit; Quia contra essentialem formam juramentorum est per creaturas jurare, quod etiam expressè prohibetur à Christo, Matth. 5. 34. 35. & c. vñf. Christus, 26. X. de jurej. Dēinde quoniam & Deus ut ultor perjurii invocatur, absurdum esset, juramentum concipi per aliquam rem, quæ opinione divinitatis destituitur, hoc nimur sensu, ut illa res testis atque ultrix perjurii vocetur. Puffendorf. de Jur. N. c. 2. L. 4. Et nihil in contrarium faciunt reperta exempla in sacris, quod Moyses per coelum & terram Deut. 39. v. 19. & Josephus Gen. 42. 2. 15. juraverint; ibi enim non per coelum & terram tanquam Dei alicujus nomen, aliquid asseritur, sed tanquam per obtestationes & formulas civiles, quibus aliquid in sermone confirmatur, ut habentur in l. 13. §. f. ff. de jurej. l. 41. C. de transact. l. 2. C. de jurej. l. 4. ff. eod. veritas declaratur.

§. 6. Præterea requiritur ut juramentum fiat animo delibato, Grot. l. 2. c. 13. §. 3. & verbis ore prolatis; de quo infra. Unde juramento haut obstrictus est, qui non putans se jurare, verba jurantia protulit, vel etiam ejusdem verba concepta, in prima, ut loquuntur, persona alteri præivit. add. l. 3. §. 2. ff. de O. & A. Sic apud multos jurantes sese non deliberatus animus ex defectu intellectus, animi & consensus exercit, ut inde non obligentur; quod appetat in juramento (1) furioso tempore furoris, qui ex juramento præstito non obligatur, dum ipsi consensus deest; & deliberatus animus; juramentum

§.

tum enim non obligat ubi deest consensus *l. ult. C. de non num. pec.*  
Quod autem furiosus nullum consensum habeat, appareat *ex l. 2. C. de contr. emt.* & mens ipsius se ipsum non noscit, miserabilisque infortunio premitur. *Nov. Leon. 112.* & sic omni caret intellectu *l. 14. ff. de offic. præsid.* nec animum habet *l. 7. §. 9. ff.* quibus *ex caus. in poss. eat.* adeò ut neque Curatoris consensu interveniente, quod gestum est ab ipsis, confirmetur *l. 5. ff. de Reg. Jur.*

§. 7. (2) *Ebriosi*, qui promissionem juramento confirmavit, ob nullitatem ex defectu legitimè consensus, quem summè ebrius non habet, & propterea furioso assimilatur, qui usu rationis privatus *arg. c. 14. X. de vita & bon. cleric.* Nam ebrietas mentis inducit exilium. *c. 7. caus. 15. qu. 1.* inquit puerो similis est furiosus, ut Plato *in L. 1. de Leg.* confirmat. *Hect. Felic. de societ. c. 7. n. 8.*

§. 8. (3) *Irati*, cuius ira rationem omnem exclusit. *l. 8. ff. de R. 7. l. 2. C. ad L. Jul. Maj.* nisi per perseverantiam convallidetur; nam ex ea animi deliberatio præsumitur. *l. 38. §. 6. ibi: C. ideo abstinenti ff. ad L. Corn. de adult.*

§. 9. (4) *Prodigi* jurata promissio, scil. postquam ipsi à Prætore bonis interdictum fuit, nulla est, quia huic moraliter deficit consensus, & propterea effectus, quoniam nimium obligando se & dilapidando bona, rerum suarum furiosum facit exitum. *l. 12. in fin. ff. de Tut. & Curat. dat.* ita furiosis æquiparantur *l. 1. ff. de Curat. furios.* & uterque habetur pro errante, *l. 20. ff. de aqu. pluv. arced.* quod igitur ex errore nullum est, nec juramento confirmari potest. *l. 14. §. 3. C. non num. pec.* & juramentum non supplet defectum consensus *d. l. 14. §. 3. C. non num. pec.* Roman. *in Conf. 517. col. pen.* Aret. *in Conf. 14.* Surd. *Conf. 38. n. 9. lib. 1.* Menoch. *Conf. 806. n. 11. lib. 9.*

§. 9. (5) *Impubrum*, quoniam enim horum juramentum pariter deficit comite judicij, quod ad ejus validitatem maximè requiritur; *c. 26. X. de jurej.* Quin nec impubes voto obligatur *c. 11. X. de regular. c. 1. cod. in 610. E.* nec jurejurando, cum utrumque Deo præstetur. Fachin. *l. 3. contr. c. 10.* Hillig. *ad Don. l. 21. c. 13. lit. D.*

B

§. 10. Huc



§. 10. Huc pertinet (6) *Errorre elicium juramentum*, quippe qui maximè obest intellectui jurantis l. 57. ff. de O. & A. l. 76. ff. de R. Jur, nam certum est, eum qui juravit, factum aliquod supposuisse, quod revera ita se non habebat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum, imprimis, ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit conjectus. Nam factum illud habet vim *Conditionis*, qua non apparente, quæ superstruuntur corrunt. v. gr. si quis ex remotis locis latum alicui attulerit nunciū, ob quem aureos montes promiserit jurato, postea autem falsa ipsi nunciata esse deprehenderit, minimè juramento teneatur. Tale enim juramentum, quantum errori superstruitur, est invalidum. Puffend. in J. N. libr. 4. c. 2. §. 7. Benekendorf. ad Seraphin. priv. 61. n. 26. Rauchb. p. 2. qu. 4. n. 37. & seqq. Seraphin. pr. 83. n. 59. idem statuens, & si minor juraverit de contractu servando, si in aetate erraverit, falso se majorem putans, juramentum non valeat. Trentac. l. 2. pract. ref. I. tit. de min. num. 17. Quare nec condicō indebiti sic impeditur per juramentum. Mauric. de refit. in integr. c. 113. n. 8. Unde etiam confessio delicti erronea, quamvis judicialiter & spontaneo facta, etiam si fuerit jurata, nulla est, & revocari potest, per tradita Guazzin. in def. reor. d. 32. c. 10. n. 1. & 2. infine. ex Ant. Gomez. tit. de delicto. t. n. 66. Mafcard. concl. 345. n. 39. Franc. Pers. de indiciis & tortura. n. 31. Honded. Conf. 102. n. 42. Vol. I. Bajard. quest. 55. n. 61. & seqq. ubi reddit illam rationem, quia nemo potest defensionibus suis renunciare, cum non sit Dominus membrorum suorum. Petr. Caball. cas. 186. n. 82. & contestatur Hieron. Hispan. in tr. Com. contra Commun. qu. 650 n. 1. & quavis rebus sub quacunque verborum forma juraverit; imo etiam si juraverit plenam & veram super contentis in inquisitione dicere veritatem, ut de communī post alios, quos allegat, asserit Modern. Rom. in qu. 81. num. 319. ubi tamen allegat contrarium tenentes. Ino non legitimis precedentibus indiciis facta confessio, non prajudicat confitenti, etiam si fuerit jurata. Mars. in l. 7. ff. de questi. n. 67. & seqq. Mafcard. de probat. concl. 353. n. 3. Bertrazz. c. 39. n. 8. cap. 49. n. 29. & 52. Vol. I. Et hoc porto procedit, quod nec con-

II.

confessio extorta sine legitimis indiciis per millies factam ratificationem convalidetur, quamvis etiam ratificatio fuerit jurata.  
Mascard. de probat. concl. 353.

§. II. (7) Juramentorum præstitum per dolum verum ipso jure non obligat jurantem, si verus est dolus, qui excludit consensum c. quamvis 2. de past. in 6. Paris. conf. 26. n. 64. Vol. 3. Tunc autem intelligitur per dolum exclusus consensus, quando commissus est per machinationem, vel fallaciā aut deceptiōnē: exemplū est in contractu simulatō, qui, quamvis juratō factus, nullus est; gloss. in l. 3. empione C. plur. val. quod ag. Corn. in Conf. 125. col. 4. Vol. 1. Conf. 121. col. 3. ad fin. Vol. 2. ubi præterea dicit, quod si contractus ex forma statuti reputatur fictius, juramentum illum non confirmet; quia non intelligitur celebratus, ex quo deficit consensus, & idem, voluit in Conf. 167. Col. 2. in lit. K. eod. Vol. Tiragu. de jure constit. in 3. part. in 7. limit. n. 32. & sic juramentum non potest facere verum, quod est falsum, Ruin. Conf. 175. col. 3. v. 6. Vol. 1. & quia contractus simulatus non habet fundamentum consensus, hinc est tanquam corpus sine anima & spiritu, ut dixit Bald. in l. 1. C. plus val. quod agitur, quād quod simulatē concipitur. & ideo non dicitur contractus, cum deficiat in substantialibus Bart. in l. nemo potest. 55. ff. leg. 1. Hinc etiam talis contractus dicitur coloratus & depictus, in quo quidem extrinsecus apparet aliquid; sed intrinsecus non habet substantialiam Bald. in l. ab Anastasio 23. nov. 4. C. mandat. Cum itaq; deficiat consensus, juramentum non obligat, nec requiritur absolutio. Corn. Conf. 135. col. 4. Vol. 1. Bald. in d. l. 3. C. plus val. quod agit. quam Et. & dum actus est ipso jure nullus l. emtor. 12. ff. de aqua pluri. arc. l. nuda 55. ff. de contr. emt. quæ jura in hunc finem citat Alex. Conf. 142. col. pen. num. 5. Vol. 5. ergo non potest firmari juramento. Marf. C 125. n. 7. Coler. de Proc. executiv. p. 1. c. 10. n. 32. & Conf. 29. n. 144. & seqq. Hering. de fidejuss. c. 9. n. 45. Proinde enim est ac si juraverit, se servaturum nihil, si nihil contractum est. Coler. d. n. 32. & ut actus ipse, ita & iusjurandum verum non est, sed simulatum. Maur. de restit. in integr. c. 119. n. 13. Unde statuto si caveatur, ut contractus minoris sine certis solennibus præsumatur simulatus, eum

juramento non convalidari censem. Gutierrez. in aub. sacramento puber. C. si adv. vendit. n. 45. ubi & scribit; ita indirecte posse tolli statuto vim juramenti, inducendo prius simulationem ac dolum, & hanc opinionem in praxi observandam esse. Hillig. ad Don. l. 21. c. 13. lit. Cc. Etiamsi subest dolus presumivit talis in contractu, nec tunc juramento confirmari potest. Panorm. in c. cum contingat. 28. X. de Jurej. nos. 3. Farin. dec. 42. n. 17. Pruckm. conf. 2. n. 328. Schurf. conf. 17. n. 2. cent. 1. Schrad. Conf. I. n. 122. Surd. Conf. 87. n. II. lib. I.

s. 12. De vi & metu extorto juramento mirè inter se discrepant Dd. ut videre est apud Fachin. L. 8. c. 102. Legaliter enim communiter tenent talia juramenta ipso jure nulla esse, per text. expressum aub. sacrament. puber. C. si adversus vendit. imprimis quoniam Jus Canonicum huic sententiae in c. 4. de bis. que vi & metu causa fiant. X. de Jurej. ad suspulari videtur; ubi ait Pontifex: quod quæ vi metusque causa sunt, carere debere robore firmitatis, & c. non obligatorium 58. de R. J. in 6to. Deinde ipse Pontifex in c. 28. X. de Jurej. & c. quanvis 2. de paet. in 6. dicit: servanda esse juramenta, quæ non vi, non dolo extorta sunt, neque vergunt in dispendium salutis æternæ, aut in alterius præjudicium. E. juramenta vi & metu extorta servare nemo tenetur. Et huic opinioni accedit Panorm. in d. c. cum contingat. 28. X. de Jurej. & quidem cum limitatione, dicens: aut enim juramentum vi & metu extortum interpositum est facto nullo jure prohibito. v. gr. si quis juraverit vi & metu, rem suam vendere, hoc juramentum meritò obligat jurantem; ita ut contravenire non possit, nisi prius ab eo sit absolutus; nam non vergit in dispendium salutis æternæ, & solum præstitum est super eo, quod nullo jure prohibitum est, aut pacto & actui, principaliter favore & odio privati, secundariò verò favore publico de jure illico & prohibito accedit; tunc ejusmodi juramentum coactum, ob duplum defectum, puta legis prohibentis tale pactum, & consensus, ratione violentie & metus, ipsum juramentum non obligat. per text. d. c. 28. X. de Jurej. argumento à contrario sensu ductio. Nam

13.

Nam unicūm juramentū non potest adimplere dūos defectus.  
Dec. Consil. 249. num. 3. & ita in Camera fuisse obseruatū attestatur Gail. I. 2. observat. 42. in fine. e. gr. Filia si renunciat hereditati paternæ cum juramento; tunc talis renunciatio valet, nisi vi & metu ad renunciandum inducta. c. quamvis 2. de part. in 6o. Ubi communiter Dd. in l. stipul. hoc modo concepta Et. ff. de Verb. Obl. Bald. in l. patrum dotali 3. n. 1. C. de Collat. inferunt; quoties duplex vitium in juramento vi & metu extorto super re de jure prohibita; nempe (1) legis resistentia & (2) vis & metus intervenit, toties his casibus juramentum præstatum non est obligatorium. Panorm. d. l. num. 3. Felin. in c. si verò 8. n. 8. vers. hanc conclusionem. X. de Jurej. Spec. tit. de Legat. §. nunc videndum. n. 25. in fin. Hisce tamen non obstantibus, juramenta metu extorta obligationem parere; & ab hujus vinculo absolutionem necessariam defendunt Canonistæ communiter. per c. si verò 8. X. de Jurej. Ungebauer. L. 2. De crier. ad tit. 24. de jurej. n. 22. Praesupponendus tamen hic est unicus defectus in hoc juramento; alias priori sententia sine dubio locus foret; & duplex vitium non suppleret. Pugnam autem hanc & dissensum Dd. & textuum in Jur. Civ. & Can. sic componere voluit duplice distinctione Fachin. all. c. 102. Aut enim juramentum metu extortum est super contractu à legibus reprobato s. illico; aut iisdem approbato. Priori casu juramentum est nullius momenti, ob duplex vitium: nempe ratione rei illicitæ, ob quam præstatum est contra legem; & ratione defectus veri & pleni consensus, & ita accipendum esse. c. cum contingat 28. X. de Jurej. & c. quamvis 2. de part. in 6. & Imperat. Friderici Constitutio in d. auct. sacramenta puber. C. si advers. vendit. Posteriori casu obstringit jurantem, & ita absolutione à juramento opus est. Et ita accipendum c. verum 15. & c. si verò 8. X. de Jurej. Deinde distingv. inter forum internum sc. conscientiæ, & forum externum, in quo nos versamur, sub magistratus imperio & jurisdictione. In foro enim conscientiæ obligat, non in foro externo. In hoc juramento enim, quod quis coactus fecit, duplex est obligatio, una quidem

qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet temporale damnum sustinere, quam juramentum violare. Et sic c. 8. & c. 15. X. de jurej. loquitur de obligatione juramenti quoad Deum, ut patet ex illis verbis: *Tutum non est, quemlibet contra suum juramentum venire;* & rursus: *ne autores perjurii videamur.* Sic auct. sacramentum pub. ad forum externum recte applicari dicit Fachin. all. l. Tandem Gloss. in c. necessitatem 15. q. 6. tres casus excipit, ut juramentum metu extortum non valeat, sic Socinus in reg. 206. ejusmodi casus etiam refert, in quibus tale juramentum non servandum. De matrimonio ex metu juramento contracto vid. infra c. 6. §. 9.

§. 13. Denique ex c. xxi Christus 26. X. de jurej. apparet, ad præstationem juramenti verba esse necessaria; dicitur enim ibi: *Juramentum esse sermonem.* & Nov. 17. c. 7. ubi prohibetur præsidibus, ne verbum i.e. juramentum temerè cuiquam indulgeant. sc. his, qui fieri possunt. Bart. ad l. 12. ff. de accept. c. pen. X. de Jurej. Unde colligitur, non sufficere jurandimentem, nisi & verba juramentum significantia fuerint expressa; Hoc igitur præsupposito, sequitur quod relatio ad aliud juramentum non valeat quoad effectum veri juramenti, quamvis ea fiat per ipsum jurantem. Hippol. de Mars. in sing. suo 415. Covarr. d. c. 2. de past. in in 6. p. 1. pref. n. 5.

### CAPUT III.

#### *Invaliditatem juramentorum ratione rei turpis, illicitae, in honesta &c. enucleat.*

##### §. I.

**P**orrò propter rei & facti qualitatem, etiam invalidum & nullum sit jusjurandum: v. gr. si res vel turpis, in honesta, iniqua, & illicita, impossibilis, contra bonos mores, leges divi-

divinas, naturales & humanas, in obligationem juratam deduta; ut videre est. in caus. 22. quest. 4. per. tot. Absurdum enim est invocare vindictam divinam, nisi aliquid feceris, quod sub comminatione pœnæ à Deo est interdictum: adeoque reverentia Dei, velut in ipsis ignominiam, abuti. Ac introducta sunt juramenta, ut licitis & bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut sceleribus succenturientur, inquit, Puffend. L. 4. c. 2. §. 9. de J. N.

§. 2. Hic etiam notandum, quod illicitum quoque juramentum ex eo dicatur, & servari prohibeatur, quod scitur esse illicitum, dum juratur. Si autem nescitur illicitum esse, ipsa ignorantia excusat; si potetur licitum esse, non ex ignorantia juris, sed facti. Aliud enim est, si alicujus copula credatur esse licita, quia nescitur esse consanguinea, vel quia creditur esse vidua; Aliud si ita putatur licita, quia consanguinearum vel relictorum copula nullo jure credatur esse prohibita. *Hic enim est ignorantia juris, quæ neminem excusat; nisi cui permittitur jus ignorare;* ibi verò ignorantia facti, qua quisque verè excusatur. Quod autem illicitum juramentum servari prohibetur, non est adeo generaliter intelligendum. Juramentum namque debet habere tres Comites; Veritatem, judicium, & Justitiam c. 26. X. de Jurejur. ubi autem isti defuerint, non est juramentum, sed perjurium Gloss. ad c. 23. caus. 22. qv. 4. §. 3. Imò, et si res quæ jurato permititur in se non illicita, non tamen valebit jusjurandum, si per id impediantur major bonum morale; s. ubi prohibemur obire aliquod officium humanitatis ac pietatis. Hinc juramentum, quo quis se obstringit, ut honestam aliquā & humano generi utiliē artem alteri non communiceat; adeò, ut neq; per jurantem ipsum, neque per alios ejus artis conscientis usibus humani generis satis prospici permettat ac velit. non valet Puffend. d. I. §. 10. Huc quadrare videtur c. 12. X. de Jurej. ubi dicitur: si quis juraverit, non loqui patri, vel matri, sorori vel fratri, aut eis humanitatis subsidium non exhibere, absolvendus sit ab illius juramenti observantia, cum illicitum sit & impedimentum bonorum. Pariter non valet juramentum Monachi:

nachbi claustrum abjurantibus, cum temerarium sit & contra datam fidem, c. 13. X. cod. vid. Sot. l. 8. de Just. & J. qu. 1. art. 7. c. 16. X. eod. ubi dicitur: quod is, cuius mandato stare juravit, si aliquid præcipiat contra juramentum per ipsum prius licite factum, illud servare non teneatur.

§. 4. Tandem contra bonos mores juramenta præstata sunt ipso jure nulla. c. non est obligat: §8. de R. J. in 6to. Sed notwithstanding aliter à Dd. & Interpret. bonos mores Jure Civili, aliter de Jur. Canonico considerari, in quo prohibitio J. Civilis non attenditur, quando juramentum super eo, quod absque dispensio salutis æternæ servari potest, interponitur c. cum contingat.

28. X. de Jurejur. c. quamvis 2. de pactis in 6to. Nam de Jur. Canonico illud contra bonos mores esse intelligitur, cuius observatio nutrit peccatum, & per consequens in dispendium salutis æternæ vergit; quando videlicet juramentum præstatur super eo, quod turpitudinem aliquam in se continet; aut principaliter est contra utilitatem publicam, c. si diligent, 12. §. fin. X. de for. compet. aut quando præstatur contra legem perpetuam causam prohibitionis habentem. Hisce casibus non valet juramentum etiam de Jur. Canon. quia est contra bonos mores; & sic l. 5. C. de LL. de hisce & similibus casibus intelligenda. Similiter c. non est obligato: §8. de R. J. in 6to. intelligi debet de jure, quod est contra bonos mores Jur. Canon. quod sc. turpitudinem in se continet, quod principaliter est contra publicam utilitatem, quod vergit in dispendum salutis æternæ, ut notat Gail. L. 2. obs. 39. n. 15. & seqq. Et ideo secundum Canones in materia juramentorum standum.

§. 5. Dictum supra Jure Canonico prohibitionem Juris Civilis non attendi; quod valde displicet Covarruv. ad c. quamvis 2. de pact. in 6. p. 1. §. 3. n. 35. ubi dicit: Non ideo cur jus Civile hac in parte interpretari, & explicari non possit ea, qua sunt bonis moribus contraria; cum & legislator secularis quoad Reipublicæ regimen verè interpretari possit juris naturalis præcepta, leges & statuta hac de re sancire; ut circa homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, & his similia, quorum

quorum interpretatio necessaria ad optimam Reipublicæ institutionem. l. 3. ff. de Just. & Jur. l. bona fides, 31. ff. depositi. Nec hoc indiget majori probatione, cum verè negari non possit: alioqui legislatores seculares satis strictam haberent potestatem ferendi leges super actibus verè temporalibus: quod satis absurdum est, alienumque à divina & naturali institutione. At si semel à lege seculari fuerit definitum, aliquid esse contrarium bonis moribus, & planè iniquum, manifestè convincetur, enim actum juramento confirmari non posse; ut is licitus censeretur debeat. *Hancusq; Covarruv. d. 1.*

§. 6. Ut res eò dilucidior fiat, singulis singula adjiciamus exempla: Sic, *homicidium vel sacrilegium*, ut quis faciat, jurato promissum non tenet; ob rei turpitudinem; idem si quis alteri in casum mortis uxorem suam cum ipsius consensu pollicetur jurato, prout Scabini Lipsiens. responderunt teste D. Philipp. Eclog. 59. ad Tit. Inst. de inutil. stipul. Item turpis rei & injustæ Jurej. confirmatum mandatum non est obligatorium; ob inhærentem turpitudinem, v. gr. si quis alteri literas diffidatarias ad mandatum ejus offert l. 6. §. 3. & 7. l. 12. §. 11. l. 23. §. 6. ff. mand. c. non est obligatorium. de R. J. in 6to. Jul. Clar. in Præst. §. fin. quest. 89. n. 1. Carpzov. Pr. Crim. p. 1. qu. 37. n. 45.

§. 7. Huc pertinet; si *Advocatus* patrocinium alicuius causæ promiserit, adesse tamen causæ non tenetur, si postea *injustam* eam esse deprehendat, etiamsi juramentum præliterit, quod ad finem usque litis operæ præstare vellet. arg. c. inter cetera. 22. et usq. 22. qu. 4. ratio, quia hoc juramentum substitutum est comite, nempe iustitia: ista enim quæ perspicuum in se habent iustitiam, et si juramento firmata, tamen servari non debent. Quod & in *Advocato Ecclesie* verum esse putat Menoch. l. 2. arbitr. judic. cent. 5. et usq. 494. n. 15. Neque intelligitur quicquam fecisse *Advocatus* contra juramentum suum; neque in hoc casu tenetur dare substitutum, qui eam causam defendat; cum ita debeat habere rationem animæ proximi sui, quemadmodum & propriæ, ut putat Jason. Conf. 94. in fin. l. 3.

§. 8. Similiter, quamvis alias amantis amoris cœstro

excitati, quod amicū sua præstítit juramentum obligat; attamen si quid *illicitum* contineat, aut si parentum autoritas vi-lescat, eo præstito, vel prorsus negligatur, ut plerimque in-cauti adolescentes insciis parentibus fidem dant amasis, nulla hujus juramenti observatio esse potest; parentibus invitis & non consentientibus. *Set. l. 1. c. 8. n. 11. usq; ad fin.* *Carpz. L. 2. def. 58. Jurispr. Eccles.* Idem judicium est de *sponsalibus* jurato-factis; de quibus Magn. Dn. Stryk. *diss. de Conc. spons. c. 1. §. 88. & seqq.* Pariter Jure Canonico sponsalia de futuro spem solūm matrimonii inducunt; idcirco & hoc jure mutuo consensu dissolvi queunt, *c. 2. c. ult. de sponsal.* etiam si juramentum interveniret; hujus enim gratiam sibi invicem facere possunt. *c. 1. X. de Jurej. Covarruv. part. I. de spons. c. 5. n. 1. Beust. p. 1. de spons. c. 10.* Alterius quoque pœnitentia, non quidem pro lu-bitu, sed si aliqua causa subsit, recedi ab his sponsalibus jure Canon. potest; etiam si juris religio intervenerit, *c. ex literis. 10. c. requisitiv 17. X. de spons. Matth. D. 2. tb. 9.* Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 29. tb. 12. S. Jur. Civ.*

§. 9. Quid de milite, juramento ad præstantia bellica ser-vitia obstricto, sentiendum? facile patet ex Constit. Publ. Pac. Carol. V. Imper. *Sub Tit. von Mandaten des Cammer-Ges-richts wieder die Friedbrecher/ & Ordin. p. 2. tit. 9.* §. und ob-sich, cum §. seqq. que ipsum, non obstante juramento, à bello illico avocandum jubet; hujus enim juramentum cum interi-tu salutis æternæ servatur, & ad seditionem & concussions, rapinas, latrocinia & scandala publica, atque nefariè contra pa-cem publicam præstatur *c. in malis. 5. caus. 22. qu. 4. c. 1. X. de bis.* que sunt à majore parte cap. *Gail. in tr. de pac. publ. l. 1. c. 4. n. 15.* & sic contra bonos mores Jur. Canonici non obligat. *c. non est obligatorum. §8. de R. Jur. in G.* Imò juramenta, quæ in deteriorem exitum cedunt, que exemplo perniciofa sunt, quæ ad multorum cladem pertinent, adeo ipso jure reproba-ta sunt, ut ne absolutionem requirant; & sine metu perjurii li-cite contemni possint. *c. quanto. 18. X. de jurej. caus. 22. qu. 4. per tor. Gail. d. l. n. 16.*

§. 10. Nec

§. 10. Nec minorem turpitudinem continet illud iusjurandum *testis*, quippe qui ex communi Dd. sententia utroque jure ad perhibendum testimonium pœnalibus mandatis compelli potest. l. 19. C. de *testib.* si forsan vinculo religionis se obstrinxerit ad non perhibendum testimonium; Nam, quia contrabonos mores Jur. Canonici est; sine peccato observari non potest; cum celans veritatem peccet mortaliter; c. quisquis 80. & 81. caus. 11. quest. 3. gloss. in c. 1. X. de *test.* cog. in verb. occultant. c. quanquam 2. caus. 14. quest. 2. vid. Gail. L. 1. obs. 100. n. 1. & id. e. tamenquam temerarium & illicitum non tener; nec infamiam non servant irrogat; sed eidem jurans propriæ autoritate contrarie potest. c. pervenit ad aud. 6. X. de *test.* cogend. vel non. gloss. ibid. in verb. juramento. c. intimavit. 18. de *test.* & attest. ubi gloss. in verbo: juramento. Panormit. ad. d. c. 18. n. 2. & 3. nec à tali juramento absolutionem petere tenetur. Felin. in d. c. 18. de *test.* & attest. nam. 5. in fin. Parillus est textus in c. constitutis 45. X. end. & ibid. gloss. in verb. non teneri; dicens: tale juramentum jure nullum, cets. videatur tale esse, quod sine salutis eterne interitu servari posset; quod tamen fieri vix poterit per superiorius traditam rationem; quia celando veritatem gravius peccatur. Panorm. in d. c. 45. n. 2. Hinc est, quod jurans non revelare secreta, si in testem producatur, non obstante juramento, posset aperire veritatem, nec revelando incidat in perjurium; nam non servans præsumitur pœnituisse de peccato, quod temerario juramento commisit; ut est communis Dd. opinio in d. c. constitutis 45. X. de *test.* & attest. Folier. in præf. Crimin. c. 8. in verb. *testibus* diligenter examinatis. n. 27. Hippol. sing. 424. incipit. accipe. Höning in Proc. c. 82. Rutg. Ruland. de Commiss. p. 20. l. 20. c. 7. Mindan. l. 2. de mandat. jud. c. 54. n. 1. Grav. in Præf. Concl. Cam. Imp. concl. 100. confid. 1. Eadem ratione jurans non se revelaturum *secreta turpia*, nihilominus sine perjurii reatu aperire potest. gloss. in c. ego N. 4. X. de Jurejur. Felin. in d. c. ego N. 4. d. 1. Mynsing. c. 2. obseru. 78. Romanus in sing. 512. incipit: jurat, & ibi declarat Nicol. Pign. in addit. tenuit per Romanum. Juramentum enim de non revelando non extendi-

tar ad inhonestā & turpia, sed de honestis tantum, & aliis non nocivis iudicatur. Eiusdem farinæ est juramentum ejus, qui jurat: *se nolle de calunnia jurare quamvis judex mandet*. gloss. in l. 2. §. 7. fin. a. reg. C. de Jurej. propter calum. dand. Juramentum enim calunniæ non tam commodo, privatorum introductum est, quam ob utilitatem publicam, ut calumniani occasio litigantibus praecidatur; ut probat Ant. del Re. in tr. de jur. calum. c. 3. & 4. c. 15. n. 12. & seqq. Jusjurandum autem contra bonos mores Jur. Can. quale & hoc est, dum contra utilitatem publicam præstitum, servandum non est. c. non est obligatorium 58. de Reg. f. in 610. Roman. sing. 507. n. 1.

§. 11. Quid? quod pacta circa futuram in bona viventis & non consentientis successionem, adeo sunt invalida, ut ne juramento quidem munita subsistant, quia ejusmodi pacta de hereditate viventis inducunt votum captandæ mortis, & occasionem peccandi afferunt; hinc & peccatum nutritre dicuntur à Salic. ad l. pactum quod dotali. 15. C. de Pact. & Socino juniorie Cons. 44. n. 39. L. 2. Cacheran. dec. 100. n. 3. Et consequenter sunt contra bonos mores Jur. Canon. c. defensanda 2. de concess. præbenda. in 610. qua juramento non confirmantur, c. 58. de R. f. in 6. Hinc etiam expresse contra bonos mores dicuntur, l. ult. C. de Pact. imo vergunt in præjudicium tertii, & ejusmodi pactiones plenas esse tristissimi & periculosi eventus propter infidias videlicet, quæ parari possunt viventi, dicit l. ult. C. de pact. E. nec juramento firmari possunt, quod probat c. cum contingit 28. X. de jurej. o. quamvis 2. de pactis. in 610. Fachin. cap. 73. l. 8. Seraph. priv. 20. n. 17. & seqq. qui hanc opinionem omnium Dd. calculo approbatam dicit.

§. 12. Negar quidem Bald. in c. r. §. moribns, si de feud. fuerit contr. int. dom. & agnat. & cum hoc Covarruv. in c. quamvis in init. part. 2. ver. altera verò constitutio n. 3. de pacti. in 610. versari nempe in tali pacto votum captandæ mortis; Quis enim hoc revelavit, inquit, quod sic paciscaens quereret mortem illius, de cuius hereditate pacisceretur, cum quilibet in dubio præsumatur bonus? l. merito. 51. ff. pro socio. c. fin. de presump. & præsu-

præsumendum quemlibet habere eam voluntatem, qualem habere convenit, & debet l. ex fatto 43. in pr. ff. de vulg. & pupill. subst. Calc. Conf. 48. n. 15. & Conf. 120. col. 4. verb. talis enim. & alibi dicitur, quod quis præsumatur facere actum, ut sibi profit, non ut alteri noceat, gloss. in l. fiuminum 24. §. fin. in verb. non teneri ff. de damn. infest. Sed Resp. ejusmodi pacatum, quod h̄c non dicitur assertivè, quod pacientes habent talem voluntatem s. animum captandæ mortis; sed quodstante tali pacto suspicio fit, ut mors illius desideretur, & queratur; l. ult. C. de pac. & idem dicendum de hac suspicione mortis, quod de ipsa morte; idem de suspicione insidiarum, quod de ipsis insidiis; exinde enim illæ aliquid, & esse posse paria judicantur ut in l. sufficit 56. ff. de cond. indebit. Sicuti in simili dicitur de metu, in quo suspicio operatur idem ac ipse metus Bart. in l. isti quidem 8. §. 2. ff. de eo, quod met. caus. Imò ut Cicero inquit libr. 6. fam. epist. 82. plus in meruendo mali est, quem in illo ipso, quod timerit; Et similiter de suspicione belli, quæ pejor est ipso bello. arg. l. Pedius. 4. de incend. ruin. & naufr. de suspicione falsi, quæ in multis habetur pro falsitate. E. eodem modo suspicio voti captandæ mortis idem est quod ipsum votum, & sic omnino est reprobatum: Deinde ita pacientes demonstrant desiderare res alienas, quod est contra præceptum Decalogi: Nec rem cupies alienam; quod continet in se peccatum avaritiae, propter quam videtur desiderare mortem ejus, de cuius bonis pepigerunt; quod est odiosum, & contra bonos mores naturales, quia homini hominem insidiari nefas est. l. 3. ff. de Just. & Jur. & facit iux. cum gloss. in l. ergo 4. §. si ex die ff. de fiduciomiss. libert. ubi dicitur, quod occasio etiam modica, s. causa occasionalis impedit actum fieri. & præsumitur quod habent illi insidiari, ut citius ad effectum possint eorum conventionem perducere, & nemini in dubium venit, quod delictis obviare debemus, c. quan. 47. de sent. excom. Grat. l. 1. resp. 1. num. 39.

§. 13. Sic pacatum de futura successione ex consensu ejus, de cuius hereditate agitur, de jure quidem valet, is tamen de cuius

cujus hereditate actum fuit, jamento non obstante, ejusmodi pactum revocare potest, sine perjurio. Mart. Benekend. ad Seraph. in addit. priv. 20. n. 12. Bartol. Musculus de success. convent. membr. i. concl. 3. sub B. n. 48. Ant. Thesaur. dec. 225. Fachin. l. 2. c. ult. Modest. Pist. conf. 8. n. 12. L. 1. *Paetia autem reciproca Principum Germaniae de succedendo, Imperatoris autoritate & juramento vallata valent inter Principes, non privatos, Muscul. de tr. membr. i. concl. sub M. n. 71. Förster L. 4. de success. ab intest. c. 24. n. 16. Heinr. à Rosenth. de feud. c. 7. concl. 25. Waremund ab Ehrenberg de fæder. c. 7. n. 2. Benekend. d. 1. num. 15. Gail. L. 2. obs. 126. num. 7.*

§. 14. Ad pacta jurato inita referendum & illud, quod de quota litis dicitur; hoc igitur nec juratum valere statuit: Græv. concl. 44. n. 26. Hahn. diss. 2. celeb. de pæt. th. 48. Neviz. C. 21. n. 22. Dissentit. Guid. Pap. dec. 139. Sed pactum de quota litis juramento firmari ex jure Canonum verum, sed Civili falso videtur, tum propter rationem generalem l. 5. C. d. LL. tum, quia dicitur contrabonos mores. l. 15. C. de procurat. quem textum de hoc pacto Cyn. Salicet. Castr. Sichard. & alii ibid. interpretantur. Bacchov. ad Treusl. Disp. 6. tb. 7. lit. C. Benekend. ad Seraphin. priv. Matth. Cuno de pæt. l. 1. c. 25. n. II. Farin. Conf. 90. n. 35. l. 1. & in pr. Crim. p. 3. l. 3. Tit. II. qv. 106.

§. 15. Huc spectat etiam amicobrosis jurata, quamvis enim jure civili sit licita l. 11. §. 1. ff. pign. & hypoth. l. 14. & 17. C. de usur. tamen Jure Canon. non valet, sed prohibita est. c. ad nostram. 7. X. de jurej. ratio prohibitionis est, quia in antechresi consequitur creditor ultra sortem lucrum, ratione dilata solutionis, quod incidit in usuram, Jur. Can. prohibitam. Et jumentum non debet esse vinculum iniuriantis. c. quanto 18. X. de Jurej. Hanc tamen prohibitionem non attendi affirmat Ungebaur ad L. 2. Decret. Tit. 24. de Jurej. & receptionem per consuetudinem hujus contractus testatur Rauchb. p. 1. quest. Jur. Civ. & Sac. n. 20. 35. & 36.

§. 16 Ratione pæti Commissorii juramento firmati mirè discrepant Dd. & quidem Jur. Civ. non valere concordant; sed Juro.

23.

Jur. Canonum tenere affirmant Gail. L. 2. observ. 40. n. 4. Ritterhus, diff. 4. Jus tamen Saxonum sententia Civili assentire tradit Carpz. p. 2. def. 43. Const. 30. Bart. in l. s. quis pro eo 56. n. 10. ff. desidejuss. Treutl. Vol. 2. D. 1. th. 6. lit. D. ibique Bachov. Harprecht. ad §. ult. quibus m. re. contr. oblig. n. 221.

§. 17. Tandem rei impossibilis jurato promissa nulla datur vis ex jurejur. Don. l. 21. c. 13. lit. K. Grot. l. 2. c. 13.

## CAPUT IV.

*Juramenta ratione rei alienæ vel facti invalidè facta continet.*

### §. I.

**P**Rimum locum sibi vindicat quæfio : an adjectio jurisjrandi firmet promissionem facti vel rei alienæ ? Et Neg. per l. Marcellus II. §. jurare 2. ff. de act. rer. amot. ubi glossa bona. Nam quæ non sunt in jurantis potestate, ut quæ à Deo, vel à Magistratu, vel alio dependent, ea in omni juramento excepta esse intelliguntur ; & hoc jusjurandum temeritatem arguit, adeoque nec fortiori vinculo jurantem obstringit. Goed. de contrabent. stipul. 6. num. 203. & 2. seqq. Hillig. ad Donell. l. 12. cap. 19. lit. c. adeo ut nec mihi sic jurans obligetur ; vergit enim in præjudicium tertii cap. 2. quamvis. & ibi Gloss. de paet. in 6. quod latius declaratur per Rim. jun. in. d. prin. quibus. alien. lic. à n. 260. usque ad n. 276. nec ex alterius iure jurando, nisi cui ad istud speciale mandatum datum. arg. c. ult. de furej. cal. in 6to. Parlard. 2. rer. quorid. 4. n. 22. Ne quidem si tutor vel Curator juraverit. Seraphin. priv. 83. n. 78. post plures Alfin. de exsecut. c. 135. vers. quinio limitatur. Atque hinc est ; quod Ecclesia etiam adversus contractus juratos Prælati vel Episcopi restituitur c. 1. & ibi gloss. ac CC. de restit. in integrum. in 6to. c. præsentium X. de test. in 6to. Seraphin. priv. 83. n. 76. Nam Ecclesia æquiperatur minori. d. c. 1. X. de rest. in integr. & iumentum nihil operatur, quia factum in præjudicium tertii Alfin. d. tr.



d. tr. c. 136. Vasq. 1. *Controvers.* 9. n. 29. Parlard. 2. *rer. quotid.*  
4. n. 37. de contractu rerum Ecclesiasticarum mox infra plura:  
Tandem Gomez. 2. *resol.* 10. n. 23. committi obligationem rei  
aliena ad interessi putat, sc. si jurans se fakturum & curaturum  
promittit, ut nasciscatur rem alienam alter. Covarruv. p. 2. §. 5.  
ad c. quamvis. 2. de *patt.* in 6. *Desipulationibus inutilibus* jura-  
mento confirmatis *infra* dicetur c. ult. §. ult.

§. 2. Sic non confirmat contractum *ratione rei s. materiae*  
*Ecclesiasticae*, vendita per laicum; nam in tali casu venditio ipso  
jure nulla, nec ullo modo per juramentum firmari potest, immo  
qui ex laici concessione ecclesiasticam rem detinet, excom-  
municandus est: c. 2. X. de *reb. eccl. non alien.* Et amplius di-  
citur; quod si vendor esset Prælatus, qui in venditione non  
servaret solennitates requisitas, & juraret non contravenire,  
adhuc tamen Ecclesia ad rem vindicandam consultum foret.  
Aretin. *conf.* 114. n. 23. Idem dicendum si in *contractu feudali*  
*ullo* versaremur. Abbas. c. 28. *cum contingat.* n. 20. X. de *Ju-*  
*rejur.* & Pedema. *decis.* 170. n. 20.

## CAPUT V.

### *De Juramenti invaliditate circa res proprias interpositi.*

#### §. 1.

**C**ontractus circa *rem propria* initus, et si huic juramen-  
tum adjectum sit, tamen non valet. v. gr. si mulier de re  
sua propria cum alio *sine consensu Curatoris* in foro Saxo-  
nico contraxit, illudque juramento confirmavit, tamen nullus  
est effectus. Nam consensus curatoris ad contractum mu-  
lierum de forma & substantiali solemnitate requiritur. Rauchb.  
p. 1. qu. 32. n. 43. Berlich. *concl.* 17. n. 102. Quare omisso eo,  
contractus mulieris ipso jure nullus est, ut docet Moller. *ad*  
*Conf. Elec. Sax.* 15. p. 2. n. 82. Coler. p. 1. dec. 67. n. 21. At quod  
ipso jure nullum est, juramento confirmari nequit d. l. s. C. de L. L.  
Nec

Nec pactis juri publico per juramentum adjectum derogari potest. c. si diligenti. 12. X. de for. compet. l. 7. §. 16. ff. de pactis l. 112; §. 3. ff. de Legat. I. maximè cum & alias mulier huic solennitati statutarie expressè renunciare nequeat. Felim. d. c. 12. X. de for. compet. Carpzi. p. 2. c. 15. def. 1. Nullitas autem hæc ita compara est, ut & heredes mulierum contractum juramento vallatum servare non possint, nec debeant.

§. 2. Sic donatio Gerade ne quidem jurato facta valet jure Saxon. quia tale juramentum evertit jus publicum ac conjugum concordiam; ut vel propterea ne quidem Jure Canonico servandum sit e. donatio. 8. X. de don. inter vir. & uxor. Wesenb. in not. ad Schneidev. §. aliae. n. 63. Inſt. de donat. Deinde quia donatio uxoris marito facta nullius est momenti ex Const. Sax. 13. p. 2. ac proinde juramento firmari & corroborari nequit, quia juramentum nullitatis defectus & formam non supplet. Bald. in l. 1. num. 4. C. de oper. libert. Dec. Conf. 349. num. 1. & n. 6. nec legi prohibitoriae efficaciter cum juramento renunciari potest. Gloss. in l. à dico 55. verb. actionem ff. de viru nupt. & in l. 1. in fin. C. ne fidej. dot. dentur. Dan. Moller ad d. conf. 13. n. 9. adeoque non confirmatur gerada quoad validitatem contractus; sed tantum quoad observationem. Bart. in 156. num. 10. ff. de fideic. Anton. Faber. in C. l. 18. tit. 22. defin. 1. num. II. Carp. ad d. conf. 13. p. 2. def. 1. Maximè, cum prohibitiō etiam Jur. Civ. tot. iū. ff. de donat. inter virum & uxor. sit toti juri Canon. consentanea c. donatio 8. X. de don. inter vir. & uxor. nec alibi Jur. Canon. expressum, quod donatio jurata inter coniuges subsistat. Bald. in l. 56. quamvis dissentias Gail. 2. obf. 40.

§. 3. Hinc etiam juramentum donatoris, si donatio ex-trajudiciale rerum suarum 500. solidos excedat, & absque insinuatione facta, nullum sortitur robur, & nullum planè existit; adeo ut nec ipse, nec ipsius heredes ex hac donatione ultra 500. solidos obligentur, quia nempe insinatio requiritur pro forma, qua neglecta, ipsa substantia donationis 500. solidos exceden-

tis, corruit arg. l. 9. §. 3. ff. ad exhib. c. cum dilecta 22. §. fin. de rescript. c. venerabili 37. X. de offic. judic. deleg. Nec juramentum nullitatis defectus supplet. d. l. 5. C. d. LL. Zang. de except. p. 3. c. II. num. 202. Vincent. Caroc. in tr. de excus. bon. p. 2. quest. 15. num. 8. Anton. Fab. tit. 38. defin. 5. Dan. Moller. ad Conf. Elect. 14. num. 8. p. 2. Neque etiam expressa partium voluntate remitti potest solennitas insinuationis. l. 38. ff. de pact. Quæ sententia in primis in foro Saxonico recepta per Decis. Elect. noviss. 26. ubi expressè dicitur : Das eine solche donation, so nicht gerichtlich insinuaret / dieselbe / ungeachtet sie eydlich bestärcket / weiter als auss 500. Ducaten nicht träßtig seyn soll. Carpz. p. 2. c. 12. def. 1. Alias communis extr. Saxon. opinio est in contrarium, vid. Gutierez. de jur. Confirm. c. 17. Gail. L. 2. obs. 39. num. 12.

§. 4. Porro donatio mortis causa extrajudicialiter non adhibitiis quinque testibus facta non valet l. ult. C. de don. mort. caus. etiamsi sacramento sit corroborata ; quia forma essentialis per sacramentum non potest adimpleri. Zang. de except. p. 3. c. II. num. 202. Vincent. Carocc. in tr. excus. bonorum. p. 2. quest. 15. num. 8. Nam non immutat juramentum essentiam alicujus rei. Ant. Fab. in Cod. L. 8. Tit. 37. defin. 1. & juramento non potest corroborari donatio, quæ ipso jure nulla. d. l. ult. C. m. c. don. Carpz. p. 3. c. 1. defin. 29. n. 8. & seqq.

§. 5. Donationem non revocaturum ob ingratitudinem qui juravit, non tenetur stare juramento ; quia pactio hæc, qua dolus committendus remittitur, & qua aperitur licentia ingratitudinem committendi, jurejurando firmari nequit. Hillig. ad Don. l. 14. cap. 31. lit. a. Nam ingratitudo etiam vitium est contra bonos mores naturales, & Canonicos.

§. 6. Tandem nec uxoris pro marito intercedentis juram renunciationem SCti Vellej. valere statuunt Dd. si nulla hujus juris renunciationem precesserit certioratio ; quia in renunciante requiritur, ut etiam habeat notitiam istius juris & beneficii, cui renunciandum. Expedita enim regula est ; Juri ignoto

ignoto neminem renunciare posse. l. 19. ff. de inoffic. testam. Sic jus, quod sibi competere nescit, nemo censetur remisisse. l. ult. §. si nesciunt. C. de furt. Gail. L. 2. obs. 77. num. 8. quod extendunt, etiam si juramentum accesserit Enerk. Baro de privil. l. 3. cap. 26. num. 2. infin. Welenb. Consil. 23. num. 12. Et cum haec ignorantia in muliere, rustico, milite, &c. presumatur, Dalner. de renunc. cap. 1. num. 20. & ne se ignorasse, quod juraverint, possint allegare, omnino certioratio praecedat necessarium est, a lias juramentum non valet. Magnif. Dn. Stryk. tr. de Caut. Sect. I. cap. 5. §. 6. & Sect. 2. cap. 6. num. 4. Ant. Thesaur. decis. 222. num. 6. & 11. 12. Berlich. p. 2. concl. 19. n. 37. & 40. §. 7. Et licet Frantz. ad tit. ff. de SCto Vell. num. 88. & L. 2. resol. 4. num. 36. Gail. 2. observ. 77. Zang. de except. p. 3. cap. 11. num. 163. putent, quod juramentum sit loco certiorationis, quibus adstipulatur Moller. ad Conf. Saxon. 16. p. 2. num. 14. & seqq. Illud tamen cum Magnif. Dn. Stryk. d. tr. de Caut. Sect. I. cap. 5. §. 8. sollempniter admittendum quoad exceptiones juris, non facti; Nam ignorantia facti impedit effectum juramenti. Cui accedit quod in renunciationibus juri um obtinet, quod ad non cogitata non extendantur. Dalner. de renunc. c. 2. n. 8. Gail. 2. obs. 98. num. 14. Pruckm. Vol. I. Conf. 8. num. 222. Incogitatum verò est, quod quis sibi competere ignorat. Welenb. Vol. I. Conf. 74. num. 95. Et hoc extendunt, ut etiam generalis renunciatio ad non cogitata non extendatur. Dalner. d. c. 2. num. 18. Menoch. Concl. 37. n. 84. Welenb. d. conf. 58. & 68. Ipsum enim juramentum ad non cogitata non extenditur. Seraphin. priv. 119. num. 2. imprimis si agatur de talibus personis, quibus etiam jus ignorare permisum; ut sunt etiam mulieres l. 8. ff. de jur. & fact. ignor. juramentum ipsorum nec ad incogitata erit extendendum. Seraph. d. l. num. 3. Quid? quod certioratio hodiè, imprimis foro Saxon. per decis. noviss. 25. in verbis: Und zwar auff vorhergehende genugsame Erinnerung und certioration, was ihre Verzicht und weibliche Gerechtigkeit und das

Bénéficiū SCti Vellejani ut sich habe &c. Vid. Philip. *Conſider ad b. dec. 25.* pro forma essentiali requiritur, quæ per juramentum tanquam æquipollens non potest adimpleri. Carpzov. p. 2. c. 16. defn. 19.

§. 8. Idem conſtat, testatori tamdiu à testamento de bonis suis facto recedere, idg. revocare posse, quamdiu in vivis fit. *l. 22. ff. de Legat. 3.* nec juramentum additum valere, si juraverit, se priorem suam voluntatem non revocaturum. *Gloss. in ultima voluntas. 13. qv. 1. c. cum Martbe. 6. X. de celebr. Miss.* quamvis testator perjurus fiat, ex notatis in c. ult. de procurat. in 6to. Fachin. *L. 4. c. 8. in fine*, ubi dicit: *Etsi enim magna sit virtus & efficacia in contractibus, & ceteris conventionibus, non tamen eandem esse in actibus, qui ex sola facientis voluntate dependent, quantum ad hoc, ut revocari non possint.* Bart. & Dd. in auth. *Sacramenta puber. C. si aduersus vend.* Molin. de *Juſt. & Jur. D. 147. & 1021.* Leonh. Leſſi de *Juſt. & Jur. L. 2. cap. 19. dub. 8.* Quo & facit, quod pactis privatorum, etiam juramento firmatis, juri publico derogari non posſit c. si diligenti. 12. *X. de for. compet.* Jure autem publico ita constitutum est, ut libera sit testamenti factio *l. 3. ff. de refam.* quod mutaretur, si hujusmodi juramenta valerent, quia & libera testandi facultas impediretur, & hereditatem quis ex juramento consequeretur, citra ullâ testamentorum solennia, quæ omnia juri publico aduersantur. Fachin. *L. 2. c. ult.* Hęc de rebus priuis dicta. Sufficiant.

## CAPUT VI.

### Invaliditatem sacramentorum circa materiam contractuum trutinat.

**N**unc etiam pauca de jurejurando invalido *circa varios contractus* adjecto monenda veniunt: Et primum quidem

dem de contractibus iuratis minorum. Notissimi enim iuriis est, minori leso succurri beneficio restitutionis in integrum, nisi iuramento minor gestum confirmaverit, l. i. & autb. sacramenta pub. C. ff. adversus vendit. Sed quæritur: Si non fuerit monitus & certior factus de jure sibi competente, & beneficio restitutionis, an juramentum præsumtum ab eo super contractu valeat, ita ut locus sit huic d. aubent. nec ne? Qui affirmant horum tantum æquæ recentiorum atque veterum agmen est, ut tota pagina ad eos recensendos non sufficiat, quos refert Benekend. ad Seraphin. priv. 83. n. 3. inter præcipuos & quidem noviores Gail. agmen ducit L. 2. obs. 41. n. 5. & hanc opinionem etiam in Camera introductam esse affirmat; quem sequitur Wesenb. Cons. 32. n. 52. Gutiærez de Juram. Confirm. ad d. autb. n. 11. Mauric. de rest. in integr. c. 113. & seq. & quibus iniuntur rationibus, videre est apud Hillig. ad Don. l. 21. c. 13. lit. H. Eorum tamen, qui *negativæ* inhaerent opinioni, nempe iuramento minorem non obstringi, nisi de jure suo prius certior factus fuerit, non minor numerus est, (quos æquæ recenset Benekend. d. l. num. 4. & Trentacinq. 2. pratt. resol. iii. de minor. resol. 1. n. 14. & 18. Tiraqu. ad l. 8. C. de revoc. dom. impref. n. 146.) & horum multo securiore & tuiorem esse sententiam arbitror; (1) ob singularem favorem ætatis minorum, quibus succurrere magis, & eorum subvenire fragilitati est benignius, quam ex æquitate indulta beneficia subtrahere. (2) Quia sic jurans in errore & ignorantia juris probabili versatur; Error autem & falsa causa vitiat juramentum præsumtum in minore. Simoncell. de decreto in contr. minor. interpon. L. 3. Tit. 8. inf. p. 18. limit. 15. num. 18. Parif. Consil. 96. num. 71. Et quamvis juramentum vim habeat renunciationis; attamen ignotis nemo renunciare solet; l. 19. §. ult. ff. de inoffic. resf. & ad nom. cogitata, qualia sunt ignota, non extenditur iuramentum l. ult. ff. ad municip. c. humanae. II. caus. 22. qu. 5. Nec ad id alia trahitur, quod jurans verisimiliter noluisse creditur. l. ult. C. non num. pec. l. ult. ff. qui satisd. cog. (3) Per itenditatem rationis, desumtam à SCto Velleja-

no, ubi in muliere juratō renunciante ipsius beneficiiis, pro forma requiritur, ut juratō renunciationi ejusdem jurium certioratio praecedat. E. & minor necessariō de iisdem certiorandus erit, alias per juramentum ipsi jus concessum aufferretur, quod jura non permittunt. §. 2. Inst. de bis, qui sunt sui vel alien. jur. (4.) Tum & ipsi Contrarium sentientes, in primis Gutierez ad d. aub. sacramenta puber. C. si advers. vend. num. 116. Gail. d. l. n. 9. lubentissimē largiuntur; multo cautius esse, ut contrahens cum minore, quo securior reddatur, illum restitutioonis beneficio præmoneat, idque instrumento contractus vel renunciationis inseri curet. (5.) Quod ita duplex vitium suppleret juramentum, nempe atatem; ut sc. minor pro maiore habetur, & defectum consensu circa ignota, quod æquè contra ipsius Gail. dissentientis regulam. L. 2. observ. 42. num. II. Sic facetur Seraphin. priv. 83. num. 43. juramentum tale solummodo supplere defectum atatis, non verò alios.

§. 2. Deinde queritur: an minor contractu juramento confirmato, excludatur à beneficio l. 2. C. de rescind. vendit. si fuerit enim miter, & ultra dimidium, Iesus? Quod negatur: imprimis cum in enormi laesione concurrat dolus, arg. l. si superfite. 5. C. de dol. l. si quis cum alter 36. ff. de V. Obl. adeò ut nec necessaria sit absoluſio à juramento. Abb. in c. cum contingat 28. X. de jurej. Covarruv. ad c. quamvis. 2. de paſt. in 6to. p. 3. §. 4. n. 3. Seraphin. priv. 83. num. 85. & 99. in fine. Franzk. L. 2. refol. 4. n. 14. quod etiam obtinet, etiam si minor, nullā atatis facta mentione generaliter juraverit, se nullo modo & via impugnaturum contractum. Frantz k. d. resol. 4. num. 19. Nam minor simpliciter contrahens juramento adjecto, solum renunciare videtur beneficio atatis, nec per hoc excluditur ab auxilio l. 2. C. de rescind. vendit. Siquidem tantum ex juramento major effectus est gloss. in d. l. 2. & in c. pen. X. empt. & vendit. nisi minor expressim promiserit juramento, se non acturum contra contractum, nec ratione minoris atatis, nec ratione laesiones enormissimæ. Covarruv. d. l. n. 9. Sed tutius esse Interpret: putant, minor,

31<sup>s</sup>

rem, ubi dolus non concurrit, absolvere. Fachin. l. 3. c. 14. quæ  
absolutio etiam in foro Saxon. locum habet. Carpzov. p. 2. c. 35.  
defin. 2.

§. 3. Sic Jure communi majoris jurantis contractus ob  
enormissimam lesionem invaliditatur per absolutionem, per tra-  
dita Sichard. ad l. 2. C. de rescind. vendit. num. 12. Sets. l. 1. c. II.  
num. 14. de Juram. Covarruv. d. l. p. 3. §. 4. num. 8. quia jurans  
non videtur in tantam læsionem consensisse, nec de ea præco-  
gitasse. Præsertim, quia ita gravis læsio non potest absque ve-  
to dolo alterius contrahentis contingere. Covarruv. d.l. In fo-  
ro Saxonico autem non rescinditur ejusmodi jusjurandum. Const.  
Elett. Sax. 35. p. 2.

§. 4. Occasione læsionis enormissimæ hoc referendum e-  
rit compromissum s. laudum, quod & ob eandem læsionem non  
debeat tenere & valere interpositum juramentum. Dec. Conf.  
21. & Conf. 45. ubi dicit; quod, dum quis enormiter læditur,  
juramentum nihil operatur, quamvis enim sit licitum ex parte  
jurantis, tamen ex parte recipientis putatur esse illicitum, quia  
locupletatur cum aliena jactura, quod est contra bonos mores  
J. Civ. & Can. l. planè 38. ff. de hered. pet. l. nam hoc natura. 14.  
ff. de condit. indebit. & dicitur dolo facere, ut inquit text. in l. si  
quis mancipi 17. §. ff. de Institut. act. l. I. §. an in pupillum. 15. ff.  
depositi. Imo sic paria sunt velle locupletari cum aliena ja-  
ctura, & esse in dolo. Ad idem quoque facit, quia damnum  
facere, (quod contingit, cum locupletatio sit in detrimentum  
alterius) dicitur fraudem facere. Sign. in Conf. 82. in fin. col. 4. Cum  
itaque sit illicitum ex parte recipientis, non valet. Seraphin.  
priv. 13. num. 100.

§. 5. Circa materiam contractuum juramento firmatorum  
sequentes notanda regulæ: (1) Juramentum pactum  
contra rei naturam interpositum non confir-  
mat. l. 7. §. 10. & 15. vers. item si quis & §. seq. ff. de paſt. l. 112.  
§. ult. ff. de Leg. 1. l. 5. C. de LL. vagr. si pecunia ex feudo vendito sit  
redacta, & contrahentes de hâc, ut nempe talis pecunia pro  
feudo



*feudo haberi* debeat, absque consensu & interventu Domini, convenerint & juraverint, non valet; quia de substantia feudi est, ut à Domino investituram faciente conferatur; Deficiente itaque Domini consensu ac voluntate, ipsum feudum deficiet; quem defectum neutiquam complere poterit juramentum pacientium. Licet ergo fratres & agnati jurato convenerint, non eo tamen magis valebit pactio, nec pecunia ex feudo redacta feudalis censebitur. Köppen. *dec. 18. n. 6.* Coler. *part. 1. dec. 94. n. 9.* Heinr. Rosenth. *de feud. c. 4. concl. 8. n. 7.* Carpz. *p. 3. c. 30. def. 3.*

**§. 6. (2) Non valet juramentum in præjudicium tertii.** Exemplum est apud Covarruv. *ad c. quamvis. 2. d. paci. in 610. p. 3. §. 3. n. 7.* Nempe si quis inferior statutum fecerit, idemque firmaverit, de sententiis statim executioni mandatis, non obstante appellatione; tenuerit enim appellationi ad superiorem interposita deferre, non obstante juramento; quia non potuit præjudicium facere aquæ superiori, qui hoc jus habet, ut ad eum appelletur; ac Appellant, qui ab eo hoc concessum. Comite enim caret justitia tale juramentum, & propterea injustè alteri invito jus detrahere non licet. *§. 2. Inst. de bis, qui sunt sui vel alien.*

**§. 7. (3) Jusjurandum naturam, qualitates, conditiones, omnes actus, cui accedit, recipit sc. ab exordio, non ex accidenti, ut dicit Covarruv. *d. l. p. 1. §. 4. n. 2.* Accessorium enim sapis naturam principalis, Hartm. *Pist. l. 4. qu. 12. num. 2.* Hering. *desidej. c. 9. num. 99. c. 2. p. 1. num. 42.* Et non auget obligationem extrinsecus, sed intra suos limites manenti vinculum religionis & conscientia annexit, ut tradit Munoz. *de Escobar. de ratiocin. c. 4. num. 8.* Huc faciunt ea, quæ Puffendorf. *intr. d. J. N. L. 4. c. 2. §. 6.* sic habet: *Est autem probè observandum, juramenta in se non producere novam & peculiarem obligationem, sed obligationi in se validæ velut accessorium quoddam, vincu-***

vinculum supervenire. Semper enim dum juramus supponimus aliquid, quo non prestito, divinam pœnam in nos provocamus. Atqui ineptum hoc esset, nisi illicitum foret, non prestare id, quod supponitur; adeoque nisi antea obligaremur. Quanquam sèpè uno sermonis complexu comprehendatur & principalis obligatio, & vinculum jurisjurandi accessorium. v. gr. Dicam ita me Deus adjuvet; ut ego centum Tibi dabo. Non ideo tamen supervacaneum est jusjurandum, quia obligationi jam antea firma accedit; scilicet et si omnes non abet credant, Deum violationem promissorum, etiam injuratorum vindicare; iisdem tamen haud perquam vanè persuasum est, acerbius puniri, qui iram Dei expressè provocarit, ac quantum in se fuit, ad ipsius misericordiam viam sibi proclusit. Ex quibus concluditur, quod illi aetius, quibus aliquid vitium intrinsecum, obligationem producendam impediens adhærebat, obligatorii non fiant, jurejurando licet accidente. Sicuti nec per subsequens juramentum antegressa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem questum alteri tollitur: sic frustra quis juraverit, se alteri debitum non soluturum.

§. 8. Hinc non impedit juramentum factæ emptioni venditioni alicujus domus vel rei, nondum tamen traditæ, additum, ut non ejusdem domus & rei alteri etiam venditæ, sed & simul traditæ, ille, cui tradita est, dominus fiat. Nam is in dominio erit potior, cui res priori loco tradita, animo transferendi dominium. l. 35. C. de rei vindic. nihil operante jureamento contra rei traditæ Dominum. Et eadem ratio est in c. sicut. 22. X. de sponsal. quod sponsalia etiam jura ta per subsecutum matrimonium dissolvantur & priora nihil valeant; & ut ad horum dissolutionem necessaria non sit judicis autoritas. Covarruv. in epit. in L. 4. Decret. tom. I, in sum. c. 5. n. 9.

E

§. 9. Huc

§. 9. Huc pertinet, quod dicitur matrimonium metu, cadente scilicet in constantem virum, contractum esse ipso jure nullum. c. cum locum 14. X. de Spons. c. significavit 2. X. de eo, qui dux. in matr. eam, quam polluit per adult. & procedit, etiamsi matrimonium metu contractum juramento fuerit convallatum. Adhuc enim nullum est ipso jure. c. significavit 2. X. de eo &c. glossa expressa. in c. 2. X. de his, que vi. Quamvis enim juramentum metu praestitum non sit nullum ipso jure; sed sit ab eo expectanda auctoratio c. si verò 8. X. de jure. In matrimonio tamen id locum non habet, propter libertatem consensus, quæ in eo contractu ex natura ejus à sui primordio requiritur. Juramentum autem sortitur naturam, quæ ab exordio inest adiu in quo praestatur. l. f. C. de non num. pec. Et jure Canonico etiam procedere, absque absolutione juramenti optimè probat Fortun. in l. si unus 27. §. paetus ne peteret. 2. ff. de pacr. Sic ergo hoc casu juramentum adhaerens conjugio per metum contractio, ita habet illam conditionem, si liber consensus intervenierit, sicuti ipse conjugalis contractus. Ideo cum ipse liber consensus deficiat, ad juramentum in hoc casu requisitus ipsum etiam juramentum est, ipso jure nullum. Idem tenet Glossa in d. c. significavit 2. X. de eo, qui dux. in matr. &c. & talis etiam est obseruantia in foro Saxon. Carpzov. l. 2. tit. 1. def. 28. Jurisp. Eccles. Nic. Boër. Conf. 20. num. 43. Nec juramentum defectum consensus supplet. Et quamvis consensus adesse videatur; quia tamen solummodo simplex, & non liber est, nec tenet tale matrimonium. Covarr. in epit. 6. 3. p. 2. §. 5. n. 2. & seqq. ad C. quamv. &c. p. I. §. 4. n. 6.

§. 10. Ex predicta regula sequitur etiam, quod donatio jurata revocetur nativitate filiorum superveniente, & praestatio juramenti nihil valeat. l. 8. C. de revoc. donat. ex qua constat donationis cuius libet proprium esse, quod ea revocetur, si donator liberos fuerit consecutus. Unde cum juramentum appositum donationi sequatur naturam & proprietatem ejusdem, satis constat, non deficere propter juramenti adhesionem hanc dona-

Donationis proprietatem & naturam primèvam. Tiraqv. in d. l. 8. C. de revoc. donat. Covarruv. ad c. quamvis. de pæl. in 6. p. 1. §. 4. num. 7.

§. 11. Inde porrò procedit quod fidejussor habeat beneficium excursionis ex auctent presenti. C. de fidejuss. licet contractum fidejussionis juramento confirmaverit. Nam juramentum contractui appositum non operatur, ut is degeneret, sed tantum in sua forma & natura firmior sit, l. fin. C. non numer. pec. in primis cum beneficium minimè tolli possit per juramentum. Tiraqv. ad d. l. 8. C. de revoc. donat. in pr. n. 147. Arum. Exerc. 13. th. 18.

§. 12. Non obstat c. ex rescripto. 9. X. de jurejur. quia non dicit ibi summus Pontifex, fidejussorem amittere beneficium legis, ut scilicet velut principalis debitor in primis convenientius sit. Et licet fidejussori mandet, ut solvat, id mandet etiam debitori; Nec tollit legis beneficium. Quod si juramentum id efficeret, necesse erat id exprimere. Sicut alias summus Pontifex solet, cum aliquid statuit propter juramentum, quod legibus repugnat; ut patet ex c. cum contingat 28. X. de jurej. c. quamvis. 2. de pæl. in 60. Cui accedit quod Jus Canon. æquitate potissimum nitatur, qua nititur etiam hæc exceptio, ut pium sit fidejussoribus, & id genus hominibus ferre auxilium Nov. 4. Hinc hautquaquam verisimile est, illud auferre juranti beneficium, de quo agitur. Fachin. l. 3. c. 15.

§. 13. Quin, qui juravit se nolle fidejubere, nec violare fidem & juramentum, si fidejusserit, volunt Guttierrez. de Jur. Con- firm. p. 1. c. 62. Hering. de fidej. c. 1. n. 56. & seqq. Sets. l. 1. c. 17. n. 26. Nec enim efficit præstatum juramentum, ut obligatio fidejussoris sit sine principali, quia vis juramenti non est, ut aliquid faciat, fingatque, quod nec usquam est, nec futurum erit. Hering. d. l. c. 10. num. 94.

§. 14. Insimul fidejussor non plus debet re, loco, tempore, & causa, l. 8. §. 7. ff. de fidejuss. Nec quicquam hic agit accessio juramenti, ut plus teneatur quam principalis, & quamvis jura-

mentum & robur & firmitatem addat contractui ; non tamen per id contractus à natura sua degenerat. Vasq. I. controv. 40. num. 7. Setl. de juram. c. 25. n. 39. & seqq.

§. 15. Hinc porro deducitur, nec *Emphyteulam*, qui iuramento contractum vallavit se solueurum *Canonem singulis annis*, cadere suo jure , aut privari emphyteusi, si uno anno cessaverit in solutione ; vel si intra biennium solutionem intermisserit ; propter contractus hujus naturam & proprietatem , cuius proprium est, non amitti *Emphyteus* si ob non solutam pensionem intra biennium, c. potuit. 4. X. de locat. cond. l. ult. C. de Jur. *Emphyteut.* Hæc vero proprietas non tollitur per iuramentum, quia ex hujus contractus specie descendit. Covarruv. ad c. quamvis. 2. de past. in 6to. p. 1. §. 4. n. 19. Hilliger. ad Don. l. 9. c. 15. Litt. E.

§. 16. Nec obstat c. querelam 10. X. de Jurej, quia per iuris ibi excluditur ab Ecclesiæ administratione, hic vero sermo est de contractu , in quo non ita cautum est, ut perjurus in plus teneatur, quam lex & natura contractus postulet , vel ut jus suum amittat aliter, quam quod lege caveatur. Nec obstat l. 41. si quis major. C. de transactionibus , cum quia de transactionibus simpliciter loquitur ; tum quia nihil aliud vult, quam jurantem carere commodo contractus, id est actione, quam ex contractu habet. Est enim iniquum, ut quis velit sibi servari fidem, quam ipse violavit. Sed in proposito ita lege cautum est, ut *Emphyteuta* non observans fidem, & sic in solutione cessans non statum suum amittat ; sed ita demum si per triennium cessaverit ; ergo non potest hoc jure privari propter perjurium, quia illud facit quidem, ut magis peccet, & ideo etiam Deum, quem offendit ultorem habeat. l. 2. C. de reb. cred. non autem, ut ante triennium contra legis præcepta expellatur. Quæ enim erat difficultas legumlatori ita decernere, si voluisse? Non igitur nobis licet interpretatione nostra novam condere legem, qua vetus abrogetur in aliquo casu, de quo nulla sit mentio in jur. Civil. & Canonico. Fafchin.

chin. libr. 3. cap. 16. Clarus §. Empyteus. quest. 8.  
num. 2.

§. 17. Exinde & hoc tandem sequitur, esse non perjurum, si compensationem objiciat, qui jurato promisit se soluturum. Bart. in l. amplius 15. ff. rem rat. bab. 1. 2. ff. de Compens. Juramentum enim sequitur naturam contractus, super quo interponitur quemadmodum 25. X. de Jurej. Sed compensatio locum habet regulariter in debito. d. l. 2. ff. de Compens. ergo locum etiam habet in debito jurato. Et dedisse intelligitur, qui compensavit l. dedisse 76. ff. de V. Sign. Nec interest solverit quis, an compensaverit. l. si debitor 4. ff. Qui por. in pign. Jam autem & is, qui compensat, liberatur. l. si ambo 10. ff. de Compens. E. is, qui compensat solvit. Coppel. de Compens. c. 4. n. 26. & seqq. Martin. Uran. in c. ad nostram 9. X. de Jurej. num. 10. Moller. ad Conf. Saxon. 8. p. 1. num. 1. Setf. L. I. c. 15. n. 10. & seq. de Jurej.

§. 18. Non obstat (1) c. ad nostram 7. X. de Jurej. ubi non queritur: an debitor possit compensare, fructibus in sortem imputatis; sed utrum juramento non obstante, res oppignoratas vindicare possit, antequam solvat. Sic (2) in c. debitor. 6. X. cod. nihil agitur de compensatione, sed debitor juramentum servare tenetur, nec potest illud propria autoritate contemnere, quanquam Ecclesiastica autoritate compelli possit creditor ad usuras restituendas. Nec facit in contrarium (3) quod nemo possit juramentum commutare, autoritate propria, etiam in melius. c. pervenit. 2. X. cod. & consequenter non compensare jurans, quia videtur juramentum commutare. Sed haec commutatio juramenti, per compensationem facta, non sit ipsius debitoris autoritate propria, sed legis; qua compensationem inducit ex aequitate, ne quis cogatur solvere & postea repetere. Et sic jurans sine dispendio salutis aeternae potest contravenire juramento, quoniam qui compensat legis interpretatione etiam solvere dicitur. l. dedisse. 76. ff. de Verb. Sign. Et quamvis tandem obesse videatur, quod etiam maximè Covarr. ad c. quamvis. 2. d. pat. in 610. p. 1. re-

E 3 lect.

*tect. §. 4. num. 16.* urget, quod compensatio non habeat locum in caſu depositi *l. pen. C. depositi l. ult. C. de Compens.* ob maximam ſeſ. fidem, quam depositarius tenetur deponenti ſervare, eo, quod plurimum ei crediderit. Ergo nec in caſa debiti jurati, tanquam majori. Sed in hiſce legibus ſpeciales caſus ſunt conſtituti, ob dictam jamjam rationem, quod tamen in aliis obligationibus non obtinet. Carol. Molin, *in tr. d. Contr. qu. 43.* Fachin. *l. 1. c. 7.*

§. 19. Quid ſentiendum de exceptione non numeratae pecuniae? Et hanc, non obſtante renunciatione mediante jura-mento facta, opponi poſſe affirmat Covarruv. *in epit. p. 2. c. 3.* §. 3. n. 3. *in med. verb.* optimè comprobat Fortun. &c. quia exce-ptione illa propria eſt ipſius juramenti non tantum contractus. Imò hanc opinionem (quamvis CC. & Dd. inter quos eſt Col-ler. *in Proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 199.* diſſentiant) eſſe veriorem & æquiorem, tradit Beuſt. *de Juram. p. m. 115. n. 252.*

§. 20. Reg. IV. Juramentum, cum ſemper in ſe habeat conditionem, & tacitam quaſi clauſulam: rebus ſic ſtantibus; Ultra eandem non valet, aut porrigit vires; nec trahitur ad ius ſuperveniens; ut exemplum eſt, *in c. cum inter P. 2. X. de renunc.* ubi is, qui abjuravit beneficium, licetē potest illud iterum obtainere, quia juramentum ſolummodo habet cauſam praēſentem. Eō collimant etiam verba Puffend. *in l. 4. c. 2. §. 11.* ubi dicit: *Addita promiſſione juramenta, conditiona-tam non mutant in absolutam.* Non minus enim quod condi-tionem ſupponit cum conditione illa ſtar, caditque, quām injū-riatum promiſſum. Sed & juramentum, ſicut quodvis aliud promiſſum, expirat, ſi ceſſet qualitas, ſub qua juratum fait; eis-ſe expreſſe id non ſit remiſſum. Grot. *l. 2. c. 13. §. 18.* Hinc di-citur: quod, qui juravit tanquam Canonicus, & talis eſſe defit, ulterius non tenetur ſervare juramentum. arg. *c. venerabilem 34. X. d. Elez.* Abb. *in c. veritatis 14. circa fin. X. de Jurejurand.*

Sic

Sic qui juravit ut civis, vel Syndicus, si definit esse talis, nec amplius obligatur juramento per præmissa; quia intelligitur rebus sic stantibus. Eadem est ratio, si quis juravit se acceptum Doctoratum alicubi, & ibi superveniat pestis, excusabitur à perjurio. Salicet: in l. fin. C. d. pæt. Et si pariter Doctor juraverit, se legere per triennium in Academia quadam, si habebit hospitium cum taxata pensione, poterit in secundo anno non legere absque incursu reatus perjurii, si in secundo anno non habeat hospitium. Dd. in l. si quis heredem, 7. C. d. insit. & substit. Cornel. in Conf. 7. col. pen. ad fin. Vol. I.

§. 21. Similiter et filia renunciavit cum juramento patris hereditati viventibus fratribus, juxta c. quamvis. 2. d. pæt. in 6. fratribus deinde mortuis succedit, non obstante juramento; quia, ut dictum est, intelligitur rebus sic stantibus. Roman. in l. pæt. un. dotali. 3. C. de collat.

§. 22. Idem est si Vassallus juraverit fidelitatem Regi, si commiserit feloniam, quia Dominus desierat esse Rex, non incurrit perjurium, intelligitur enim jurasse rebus sic stantibus. c. venerabilem 34. & ibi Abb. in ult. not. X. de Elect.

§. 23. Tandem si debitor juraverit intra annum si non solverit, non erit perjurus, si bona fuerunt confiscata. Feder. de Sen. in Conf. 299.

§. 24. Coronidis loco paucis attingendum juramentum (quod pertinet ad Reg. 3. §. 7.) inutilibus stipulationibus adjectum; quippe quæ aliæ nullæ sunt; §. 3. & 18. Insit. d. inutil. stipul. nec sacramento exinde firmari posse tradit Schneid. in §. 24. Insit. d. Inutilibus stipul. n. 3. quia juramentum sequitur naturam principalis obligationis; sed si illa non valeat, nec juramentum aliquid operetur. l. 5. C. d. LL. 1. ult. C. non num. pec. Hillig. ad Don. l. 12. c. 18. Lit. G. in fin. Etiam Jure Canonico, quia hic nullum inducendum est discriben inter Jus Canon. & Civile nisi expressum sit. c. I. X. oper. nov. nunci. Hinc etiam Jure Canonico valet exceptio illa: Tua non interest. c. cum inter R. 16. X. de Elect. Jam autem stipulatoris non interest, ut alteri detur §. 18.

Insit.

*Inſt. de inutil. ſtipul.* E. ſtipulatio facta alteris inprimis J. Ca-  
no, non valet. Quam plurima adhuc inprimis de relaxatio-  
ne adjungenda forent, ſed ob instans iter, & alia, quæ me a-  
vocant, negotia domi expediunda, rumpere filum cōgor,  
atque ſic cum De iterum finio, cui ſempiterna fit.

## LAUS ATQUE GLORIA.

**N**queis homo suas habet voluptates;  
Sunt multa. Sic quendam relaxat ex-  
tolli

Honoribus ſemper: per æquoris fluctus  
Hunc Attali gazam juvat vaga prora  
Arando collegiffe. commovet dirus  
in ſtrete ductus alterum lupus: multos  
Cornu ſonorum Martis & gravis dicit  
Conflictus. Aſt, Fautor, tuam nihil mentem  
Affecit horum, quæ petit cito cursu  
Celsum cacumen laudis & decus ſumnum.  
Hederas ſacer Parnassus en Tibi doctæ  
Frontis dabit donum, & fidelis Astræa  
Te laurea inſignitum & uſque laudabit.

Honoris ſ<sup>o</sup> gratulationis ergo  
ſcr.

Petrus Müller/ D. P. P.

F I N I S.





**ULB Halle**


005 803 519

3



VD 17






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-536546-p0052-7

DFG

B.I.G.

Black



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
De

# JURIS JURANDI INVALIDITATE,<sup>1688</sup>

von  
Ungültigen und vergeblichen Eidschwüren!

Quam

SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO

DOMINO

JOANNE GUILIELMO,  
DUCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE  
AC MONTIUM ETC. ETC.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

Decreto atque Iussum

MAGNIFICI JICTORUM ORDINIS

in hac Academia Salana,

PRAESIDE

DN.NIC.CHRISTOPH.LYNCKERO,  
JCto Consummatissimo; Hæreditario in Fluhstedt & Köt-  
schau/ Consiliario aulæ, Regiminis Saxo-Vinariensis Intimo, Facul-  
tatis Juridicæ Seniore & Antecessore Primario, Collegii Juridici  
DECANO,

PATRONO SUO perpetim colendissimo  
PRO LICENTIA

Summisque in utroque Jure honoribus ac Privilegiis Doctoralibus  
ritè impetrandis

Publicæ disquisitioni submitit

F R I D E R I C U S Gottlieb Blumberg/

H. L. Q. C. ad diem Aug. 1688.

Jenæ , Liteis Bauhoferianis.